

non probet? Non summis laudibus efferat? Neque enim solum chartas omnes, quibus ipse in suam movebatur opinionem dedit, sed etiam alia, quae ipsi visa sunt adversa et ultro patefecit, et rogatus consueta facilitate transmisit. In horum numero recensenda videtur Chronica Raphaelis Lumelli, quam praeterito autumnno vix speranti tradidit, ut ederem. Quae vero, ac quam praeclara historia? Hujus ego jam aliquam notitiam acceperam ex collectaneis Burgontii, in quibus quaedam folia per annos digesta repereram cum hac inscriptione. *Chronica Raphaelis Lumelli*, tum ex P. Cavallerii epistolis, qui monuit hoc praeclarum esse Alexandrinae historiae monumentum a Ghilino usurpatum ad suorum annalium texendam historiam, ut ipsemet in indice scriptorum huic praemisso testatus est, at rarissima ejus exemplaria Alexandriae existere. Sed quod discrimen inter illud exemplar et illa Burgontii folia? Haec mutila imperfecta; illud vero omni ex parte completum, suisque numeris integrum ac tale, ut prae ceteris publicam lucem in hac collectione mereretur.

Deliberavi autem non in secunda, ubi suus Chronicorum locus fuit assignatus, sed in hac prima operis parte adjicere, ne ob ejus prolixitatem plus justo posterior pars excresceret, nec proinde aequa inter duas partes servaretur voluminis mensura. Quoniam itaque hic locum suum obtinet, necessarium puto de tanto scriptore aliqua hic quoque praefari, ea omnia, quae ad ipsum, ejusque studia atque aetatem cognoscendam conducunt in medium proferre. Floruit ipse sub finem saeculi XVI. Suam enim historiam, quam jam duos ante annos scribebat, ad annum MDLXXXVI. absolvit. Cur vero ad postrema vitae suae tempora, quae ad annum usque MDCVIII. (si fides mei codicis scriptori sit adhibenda) produxit, historiam non perfecit, obscurum est. Duxit uxorem ex generosis Civitatis familiis Caesaris Lanzavecchia filiam. Gorretanum rusticum praedium habuit in agro Quadringenti. Laudavit ex amicis ob morum praestantiam Gasparum Bugatum Mediolanensis historiae scriptorem ex ordine Fratrum Praedicatorum, Constantinum Zuccam in Ticinensi Lycaeo Medicinae Professorem ob ejus erga se benevolentiam, ac operam sibi in ea civitate gravi morbo laboranti feliciter navatam.

Volumen confecit, quo vitas clarorum Alexandrinorum ornavit, quod ubi lateat, ignoro. Haud ineleganter tamen fuisse descriptas haec, quae prae manibus habemus commentaria, persuadent, in quibus quidam elocutionis nitor et facilitas, et haud incongruus rerum delectus elucet. Ex auctoribus, quos citat praestantioribus incubuisse perspiciuntur. Merulam civem suum, Sigonium, Baronium, Bernardum Saccum, qui post renatas literas luculentiori stylo historias contexerunt, ex testimoniis quae ex eis profert ante oculos habuisse constat.

Eorum quoque diligentiam videtur imitatus, ut solum assereret, quae antiquorum monumentorum, vel probatissimorum scriptorum auctoritate niterentur. Primum elucet ex comparatione facta inter res gestas ab eo traditas, ac veteres scripturas, quae in mea collectione ex tabulariis publicavi, ut in notis persaepe animadverti. Saepius etiam librum quemdam *Crucis* inscriptum laudat. Est autem hic codex multa eaque insignia reipublicae Alexandrinae documenta complectens, quem deperditum ann. MCCCCXXVII. Julianus Inviatus invenit, ac reipublicae obtulit Alexandriae, ut ipse Lumellus col. 596. tradit. Ejus diversam originem ac recentiore facit Schiavina, qui in suis annalibus MSS. scripto tradidit Jacobum Antonium filium Caroli Guaschi Comitum Gavii, et Marchionis Serraelunghae, qui